

dant. His, qui animas suas libera-
 re, et ab interitu eripere volue-
 rint, datum a quodam Amatore
 Jesu Christi. Luc. 8. v. 8. Qui ha-
 bet aures audiendi, audiat. E Fra-
 tribus *Moravis*, sive *Bohemis* est
 Amator iste, qui post admonitio-
 nem ad Lectores Seriem propo-
 nit *Capitulum XXXII.* eique Συνοψιν
 totius Operis, quod *Demonstra-*
tione et Admonitione constat, sub-
 jungit. C. 1. conqueritur de Ho-
 minum sui aevi vacillatione et in-
 stabilitate in Religionis negotio.
 C. 2. inquit in hujus mali causas.
 A c. 3. Ecclesiam Romanam im-
 pugnare incipit, et, quod erat ex-
 pectandum, desinit in *Jesuitis*. An
 errores occurrentes Autori, an
 Librario tribuendi, incertum. Quid
 v. g. c. 21. *Bertuch. in Rupert.*
in tit. Papæ? Nunquid *Bertachi-*
nus in Repertorio in Dictione seu
 voce *Papæ?* Quid sub finem: *Crux*
Triumphabit cum Signo Crucis ef-
 formato, homini, qui in usum hu-
 jus Signi invehitur? Thecae exte-
 riori utrinque impressum est Insig-
 ne primi Possessoris Anser et in
 area et supra galeam ramo infi-
 stens, piscemque rostro tenens,
 quod Insigne *Kochtitzkiorum Sile-*
siorum esse video apud *Job. Sina-*
pium in Schlesisch. Curiosität. T. I.
p. 201. et *Frid. Lucae in Schlef.*
Denkwürdigkeit. T. II. p. 1729.
 Itaque et circa Insigne lego: *An-*
dreas a Kochtitz in Kossenczin et
Turmawa. Memorant Autores
 mox citati *Andream Kochtitzkium*
 a. 1633. Regi *Sueciae* a consiliis
 legationis bellicae, ejusque Biblio-

thecam celebrant, si modo unus
 idemque est, ad an. 1613. nullibi
 tamen huic Familiae possessiones
 adtribuunt, quae supra nominantur.

DCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 525
 saltem XIII. Folior. 144. 4. min.
 caractere atro, luculento, crasso
 perscriptus, rubricis distinctus, et
 olim *κρημα Job. Fabri Ep. Vien.*
 ingreditur ab Epistola: *Fratri in*
christo karissimo! illuminatos oculo-
los. Lego et relego carissime opus
uestrum de officiis. multumque me
delectat eius lectio tum pro sui uti-
litate. tum pro auctoris dulcissima
mibi karitate. Sed esse, quae ami-
 ce moneat, antequam Opus istud
 exeat. *Cum enim in ordine diuini*
sacrificii tria illa digesturus. mate-
riam. intentionem. causamque fina-
lem de materia ageretur. dixistis
post multa. Sed dicit mihi adversa-
rius. Viuens et sensibilis in corpo-
re suo mobilisque est deus et homo
christus. Corpus autem sacrificii ui-
tam non habet. sensum non habet.
mobile non est. Corpus ergo domini
non est. Ad hec uos contra adver-
sarium. Obsecro te quam in corpo-
re domini uitam requiris? Est e-
nim uita animalis. est spiritualis.
Animalis uita quinque sensibus fun-
gitur. Visu. odoratu. auditu. gustu
et tactu. hec uita animalis est. car-
nalis est. caro est. Dominus autem
dicit. quia caro non prodest quic-
quam. Et post aliquanta. Solam
ergo spiritalem uitam in sacrificio
nobis amministrare sapientiam eius
 dece-

decebat. quæ est sanctificatio benedictio misericordia et ueritas. iustitia et pax. Hæc autem uita spiritalis sic est in corpore sacrificii absque eius uita animali. quomodo lux solis absque calore eius in corpore lunæ. &c. Jam hæc ad trutinam τῆς ὀρθοδοξίας expensa improbat Noster, atque inter alia: *Nam panis substantiam post dominici consecrationem in altari superesse semper abhorruit pietas christiana, nuperque damnauit in berengero turronensi eiusque sequacibus. Nam si hoc admitteretur. iam uerbum non incarnatum tantum, sed etiam si dici posset, impanatum diceretur.* Nota τὸ impanatum, qua uoce Noster post Guitmundum fortasse primus usus est. Post plures tandem solidas observationes concludit protestando: uelle se, et hoc et omne opus studii vestri et laboris exquisitum esse et circumspicendum, priusquam exiret in manus eorum qui foris sunt. ut qui rodere uellet, non inueniret ubi dentem posset infigere. et ut sincerum uas nullus posset incrustare. Jam quis praeclaræ hujus Epistolæ Scriptor? Dicam prius, ad quem data sit. Est is Rupertus Abb. Tui-tiensis, ✠ 1135. autor XII. Libror. de diu. Officiis, in cujus edit. Venet. 1751. T. IV. L. II. c. 9. p. 19. uerba, quæ hic in examen uocantur, prostant. Cum uero is prædictos Libros Cunoni ex Abbate tunc Siegebergensi facto Ratisponensi Episcopo, a quo singulariter diligebatur, inscripserit, fateaturque in Praef. se præter Cunonem. uix aliquem maioris no-

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

tæ Sacerdotem penitus nosse, Pezsius itidem in *Dissert. Isag. T. I. Anecd. p. 39.* testetur, uidisse se inter S. Emmerammi Codices primigenium fortassis illum de *Officiis* a Ruperto ad Cunonem missum, et utriusque Icone ornatum, tamdiu Cunonem nostræ Epistolæ scriptorem habebit, quam diu nemo certiora docuerit. Cur uero illa Rupertum ad limanda, quæ scripsit, non induxerit, difficile est coniectare.

II. fol. 7. Tractatus de Corpore et Sanguine Domini ἀδελφότητος, cui hæc Praefatio: *Karissimo suo electo ex millibus suis ille se ipsum.* Cum nuper re ita exigente cuidam fratri breuiter de sacramentis scripsissem. sumpto inde cogitandi exordio rationes quasdam ex patrum sententiis sumptas cepi inuicem conferre. et quedam quæ in libris eorum et maxime beati augustini super hac re non nullos turbare solent in unum colligens temptare cepi utrum inde aliquid possem conficere. Hinc natum Libellum michi et uobis, ut ait Autor, solummodo habendum. Promittit in fine se ipsas PP. Sententias additurum. E Capitum inscriptionibus contenta discas: *Quomodo christiano expediat accedere ad fidem. et quid ipsa sit fides. Quomodo estimandum sit de corpore domini. et quod in diuersis locis sit uno tempore non tamen ubique. Quomodo necessaria modo sit nobis corporis domini presentia. De uisibili specie in sacramento corporis domini. De transmutatione naturarum uel formarum. De spiritali manducatione*

Y ne

ne corporis domini. Quod dupliciter accipiatur caro domini. De corporali manducatione corporis domini. Abhinc Rubricae desiderantur; agitur vero de significatione vocis *Sacramenti*, de habenda in eo fumendo intentione, de causis, cur Patres de eo quandoque dubia, imo contraria loqui videantur, modoque eorum effata conciliandi; denique ipsa Effata, uti promissum erat, adducuntur. Extrema sunt: *et doctrina caelestis que animam nostram reficit amen*. Autorem egregie doctum omnia loquuntur, orthodoxum haec probant c. 4. *Mutata panis substantia in aliam substantiam ad quoddam mysterii obsequium quaedam accidentia, que illi inherebant, sic (Deus) transtulit non mutata, ut corpus domini, licet assit, albedo non faciat album, nec rotunditas rotundum, sed huiusmodi omnia sic reseruauit, ut licet uero humanitatis eius corpori assint, non tamen insint, non tamen illud inficiant uel afficiant, sicut accidentia substantiam, cui accidunt. &c.* Quis porro ille fuerit, videant me doctiores, sed *Adelmannum, Algerum, Deodwinum, Durandum Troarn. Gozechinum, Guitmundum, Hugonem Lingon. Humbertum Silvae Cand. Lanfrancum, Paschasium Ratbert. RATHERIUM, RATRANNUM* non adeant, licet Nostrum etiam turbis *Berengarianis* motum scripsisse sit possibile. Dicam tamen mox, quod suspicor.

III. fol. 39. *Incipit Eucharistion quod interpretatur bona gratia.* Praeit Capp. XII. Elenchus.

Initium est: *In multa messe Domini ardentem desudanti &c.* ut T. II. *Thef. Anecd. Bern. Pezii col. 349.* qui istud Opusculum *Honorii Augustodun. de Corpore Domini* jam *Trithemio n. 357.* memoratum primus vulgavit e Codice *Mellic.* ut pluribus exponit *Dissert. Isag. p. 6.* Praefationis, cuius initium dedi, extrema sunt: *Quia igitur id fraterne petis. quid de dominico corpore sentiam. ad utilitatem aliorum quam breuissime expediam.* Componere haec cum ingressu superioris Tractatus: *Cum nuper re ita exigente cuidam fratri breuiter de sacramentis scripsissem &c.* et fortasse tibi quoque videbitur, eundem utriusque Opusculi autorem esse *Honorium*, antecedens defuisse in Codicibus *Pezii*, in nostro vero postponendum fuisse *Eucharistio*. Utrumque ad *Fratrem ἀναγνωστον* dirigitur.

IV. fol. 51. p. 2. *Incipiunt uersus paschali de corpore et sanguine domini.* Praevii nempe illius Operis de eodem Themate et ἀνωστον numero 15. quorum prima elementa conficiunt *RADBERTVS LEVITA*. Exegi eos ad Editionem *Martenii et Durandi T. IX. Ampliff. Collect. vett. Scriptor. Paris. 1733. col. 377. f.* nilque reperi diversum, quod illi non adnotassent, praeter *Bachia* pro *Bacchica*, quod nec illi, nec *Sirmondus* exponunt, et quod fortasse Poemation aliquod metro *bacchico* seu pedibus *bacchiis* inclusum fuit. Praeterea malo nostrum: *Vnde sitim possis, flammisque extinguere mortis, quod illi tantum in edit.*

fe

se legisse dicunt, prae illorum: *Unde sitim pueri possunt restinguere saltem; rō possis enim multo aptius nescitur τω qui vis v. 1. Denique praefero etiam nostrum per eon (αἰων, per aevum) illorum per eum, quod, ad quem adpellet, nescias. Neque dicas repugnare profodiam. Quid enim non peccaret Paschasius in voce graeca, qui in latina mano bis peccavit? Jam ad Opus ipsum accedamus. Paschasius Ruperto (Radbertus) Placido (Placidio?) suo salutem. Dilectissimo filio et uice christi presidenti magistro monasticę disciplinę. alternis successibus ueritatis condiscipulo. Noui igitur nec ambigo &c. In hac Praef. discuti mererentur stilius subulcus et Maronis falsura, pro quibus Codex noster subuleus*

et falsura legit. Divisionem Operis in Capita XXII. agnoscit, sed Rubricas C. XIX. et XXII. prave commutat. In C. IX. non leguntur ea, quae e duobus Mfs. adjecte sunt Editores, et finis hujus C. est: *in spe positus eternorum. A deo detur in se sperantibus. sic sic fiat amen.* Ita et totum Opus exit in illa: *ut ad illa resurrectionis gaudia quantocius uenire valeamus; neque habet, quae in Edit. e quibusdam Mfs. adjecta sunt. Ad calcem minio: Explicit liber paschasi de corpore et sanguine domini; et continuo*

Fol. 140. p. 2. Incipiunt Uersus de eodem. Elegia uidelicet 17. Distichorum, quam, cum nullibi memorari videam, integram adscribo.

*Panis in altari uerbi uirtute sacratus
Fit, quod non fuerat, desinit esse, quod est.
Cujus naturam uerbi transfuerberat ensis,
Carnis ut esca prius, fit cibus angelicus.
Forma, saporque, color subiecto deficiente
Inuiolata manent, fitque caro domini.
Assunt, non insunt tria, quę iam diximus, ista
Diuinę carni, quę caro uiuit, alit.
In sese uiuit, mentes alit, ut bene uiuant;
Prouehit, informat, nutrit amore dei.
Assunt ob ritum sacramenti peragendum,
Assunt, ut pascant, perficiantque fidem.
Verum non insunt, quia non sunt corporis huius,
Quod tulit ara crucis, quod sedet arce patris.
Attamen hoc ipsum, quod sumimus usque, sacratum
Est donum pacis, uita, salus hominum.
Est cruor atque caro, quę lancea, cruxque tulerunt,
Summi pro nobis munera pontificis.
Namque pius iesus semel et simul omnia replens
Atque regens istud mirifice peragit,*

Ut celo uiuens calcansque necis dominatum

Multis sumatur partibus atque locis,

Ipse tamen nunquam loca uel partes patiat;

Panis namque sapor, fractio, forma, color

Non sunt illius, qui corda fidelia per se

Pascit, alit, mundat, munda beatificat.

Iste suis simul omnibus undique presto fit aris,

Sumitur atque piis undique pectoribus.

Sed sacramentum, quod ab omni carne uidetur,

Mixtim pollutis sumitur atque piis.

Rem uero summi dat conformatio christi,

Conformatur ei, que docet ille, sequens,

Pectore, voce, manu christi uerax imitator.

Hic rem percipiet, re datur ipsa salus.

Si Poemation istud Paschafii est, ut esse potest, a primo editore *Jobo Gastio*, annoque 1528. usque ad ultimos *supracitt.* annumque 1733. nemo in illud incidit. Verum si ad formulas *Affunt*, non *insunt*, atque ad distinctionem *Sacramenti* et *Rei* advertas, subolebit tibi, pertinere illud ad *Autorem Tractatus N. II.* relati, atque adeo *Honorium Augustod.* vel saltem ad illius systema effectum esse. Cave vero, ad *Hildebertum Cenoman.* referas, deceptus *versu* 1. qui apud hunc bis occurrit, nisi alterum Poema de *Eucharistia Petri Blesensis* fit, ad quem retulit *Job. Busaeus*, ut *Bibl. PP. Lugd. T. XXIV.* p. 1271.

Adscripta sunt eodem aevo: *Symbolum Nicaenum*, et *Vespera Defunctorum* cum aliquot *Lectio-nibus Job*, et ultimo hoc *Respon-sorio: Absolue domine animam eius ab omni uinculo delictorum. non eam tormentum mortis attingat. non reorum catena constringat. sed mi-*

seracio tua in pacis eam ac lucis re-gione constituat. Queque ei fue-runt domine digne cruciatibus cul-pe tu eis mitissime dono pietatis in-dulge. Quibus impositae sunt ve-tustae Notae modulationis.

DCXXX.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 1012 XVI. Folior. 24. 4. currente calamo exaratus idem est *Johannis Fabri Ep. Viennensis* Foetus, quem *Parte III. Opp. Coloniae 1539. fol. 134. f.* latinum legimus titulo: *De admirabili catholice quinque cantonum Heluetijs contra Zwinglianos a deo data victoria, consolatorius liber unus.* Et germanice quidem inscribitur: *Drost biechlin An allen frummen betrubten Christen des alten unge-zweyffleten Heyligen christlichen glauben, von dem wunderbarlichen vnd von gott seiner lieben vnd werden mutter Maria gegebenen vnd erlangten syg der sunff christen.*